



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An sit vna res Lex & Euangelium. tit. 143

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

quia Deus præcepit illã, Exo. 20. intus & foris, quia
 lex etiam Spiritualis est, Rom. 7. id est, motibus cor-
 dis vult impleri, Deut. 6. Diliges Dominũ Deum tuũ
 ex toto corde &c. Sed quoniam nemo perfectã præ-
 statur obedientiã, ideo lex omnes damnat, occidit, ter-
 ret, & est terribilis doctrina. Euangeliũ autem est ser-
 mo de gratia & merito Christi, quem Deus pater con-
 stituit propitiatorem & victimam pro peccatis totius
 mundi, Esai. 53. & 1. Ioan. 2. Rom. 3. Et propter illum
 vult sibi reconciliari omnia, Col. 1. Secundò, promit-
 tit Euangelium, quòd omnis qui primò in corde do-
 let de peccatis suis, Secundò credit in Christũ, media-
 torẽ illum, Tertio proponit obedire Euangelio Chri-
 sti: illum hæc fides in Christum liberare debet ab ac-
 culatione legis, peccati & mortis. Nam Christus hæc
 omnia vicit, 1. Ioan. 5. Hęc est fides quæ vincit mun-
 dum, id est, legem, peccatum, mortem, quæ in mundo
 sunt, &c. Mar. 1. 1. Timo. 2. Mat. 7. Qui facit volunta-
 tem &c. Et in hunc finem lex etiã est abrogata, non,
 ut fiat, Rom. 3. Legem statuimus per fidẽ Sed sic, quo-
 niam nobilius & fortius fundamentum habemus, id
 est, Christum, propter quem promissio remissionis &
 salutis facta est, & non ppter legem: nam sub gratia
 sumus, & nõ sub lege, Rom. 6. & finis legis Chri-
 stus, Rom. 10. id est, fides Christi, reputatur nobis pro
 completionẽ perfectã legis: attamen obedientia legis
 non est abrogata: Et habet sua etiam præmia in hac
 vita, & post hanc vitam.

Secundò, discernuntur quoq; lex & Euangelium.
 Lex enim ad corpus pertinet, Euangeliũ autem ad fi-
 dem mentis & cordis. Lex ad vitam præsentem ordi-
 natur, vt ostendat peccatum, Rom. 3. Et cohibeat in-
 solentiam carnis, 1. Timo. 1. Lex iusto non est posita,
 &c. Euangelium (id est, fides) ascendit, & est de futu-
 ra vita, per Christũ acquirenda. Illa quiescit in Chri-
 sto. Est igitur Lex pædagogus vsq; ad Christum, Gal. 4.

vt caro dometur, & vita reguletur, Sed quando peccerimus ad ea quæ remissionem peccatorum & uitam æternam concernunt, ibi relinquimus legem, & ad Christum conuolamus, propter illum cupientes iustificari & saluari. Et sic lex vel opera legis sunt pædagogus ad Christum. Lex ducit nos ad Christum, Christus ad patrem & uitam æternam, Ioan. 1. o. Donat quoq; fides Euāgelij & impetrat, vt faciamus ea quæ Lex imperat, id est, confert gratiam faciendi, &c.

AN LIBRI HÆRETICORUM

possint à Catholico Christiano legi.

TITVLVS CXLIII.



Orandum primò, qd discerni debet doctor Ecclesiæ publicus, vel Episcopus, vel Presbiter, & simplex & subditus: Episcopus, secundū doctrinam Pauli, Tit. 1. debet esse talis, qui potens sit exhortari, id est, ut sit in doctrina sana & Catholica. Subinde & potens in doctrina, vt eos (id est, hæreticos) qui contradicunt veritati, possit arguere. Ex quo sequitur, si debet vitare hæreticos, ergo sibi licebit legere libros hæreticorum ad confutandum eos, non imitandum, vt non neeat populum, vt caueant errores, non vt imitentur. Nam ipsi sunt positi speculatores, Ezech. tertio Si eglexerint oues, sanguis eorum ab ipsis requiratur. Ergo ministris Ecclesiæ licet legere, &c.

Secundò, Ex quo Christus prohibet audire sermones hæreticorum ouibus simplicibus, & inquit Mat. 7. Cauete à falsis prophetis, qui veniunt ad vos &c. & Paulus 2. Timo. 2. iubet omnibus deuitare eorum vaniloquiā, quòd serpant vt cancer morbus. Ideò illorum libros iubet non legere, sed deuitare, & exemplificat de sermonibus Hymenæi & Phileti, negantium resurrectionem, &cæ. Vltrà hoc etiam Catholi.